

ignavum & ignominiosum habetur: prandendum his tenuiter: cœnandum breviusculè; cum fame & stomachi latratibus nonnunquam diutius certandum. Hic verò fortitudinis ac strenuitatis tyrocinium deponendâ se locus aperit: Hic adèò alacritate exemplum aut specimen editur, fœminea vè mollicie enervatus, an masculo robore suffultus sit virilis animus. Certè si quis muliebrementem gesserit, haurit facillè lupum invadet, cum urso congregietur, aprum venabulo excipiet. Fingite vos saltuario cuidam exercitio interesse, ubi duo inter se de alacritatis notâ certent. Videte alterum mollem, domi educatum, effœminatum, timidum, à lupi invasione retrò subsultim reptantem, voce tremulum, ore pallidum, toto corpore trepidantem. Intuemini nunc illum alterum strenuum, silvis assuetum, masculum, imperterritum! En ut lupum celeri cursu insequatur, ut spiritu anbelet, ut toto corpore aestuet! En quanta confidentia venabulum in aprî costas destinet, infigat, penetret! Id scilicet est προγυμνασµα, quo integræ ætatis juvenes ad bellicos labores præparantur, quos attingere mollibus & effœminatis prorsus negatum est. Ad pericula subeunda, ad stratagematum fabricas fingendas non nisi optimus ac fortissimus quisq; eligitur. Neq; tam ovo affine est ovum, aut lacti lac simile, quàm Castrensîs Vita saltuariæ vicina perhibetur. Quid enim? si quis nomen dat militiæ, nã ille stultè sapit, otia, delicias, cupedias & luxuriam sibi promittens, cum in expeditionibus nihil frequentius, quàm

—